nondum in majoribus constitutum, ut Glossa *in dict. c.* 1.
vers. Et à Magistris:: Fagnan. *loc. c. n.* 23. & alii. (Ni
fallor ad idem tendit *lex* 3. *tit.* 9. *p.* 1.
13 Magistri peccant, si profectum discipulorum in li-
teris non sedulo promoveant, sed potius negligant. Si
non satis studeant ipsi, ut suo officio ex integro cum
discipulorum profectu satisfaciant. Si à discipulis exi-
gant stipendium majus justo, quàm qualitas gymnasii fe-
rat, aut consuetudo permittat. Si doctoratus, seu ma-
gisterii lauream, seu insignia negent dignis, & indig-
nis conferant. Si sanam & catholicam doctrinam bonis
moribus conformem non tradant discipulis, eorumque
spiritualem profectum non promoveant, sed potius eo-
rum peccata dissimulent, & non corrigant, nec impe-
diant, cum possunt. Sic expresse citat. constit. Leonis X.
incip. Meretur:::
14 Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationi-
bus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos
discipulos, qui aliorum scholas frequentabant, peccant
graviter, & tenentur ad restitutionem juxta proportio-
nem boni ipsis impediti, & damni causati, quia tales
nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra
justitiam. *Communis.* Non peccant autem magistri con- 15
tra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant
sine ulla vi, fraude, mendacio & criminatione, sed so-
lis communibus mediis persuasionis, consilii, precum,
& hujusmodi, absque intentione alios offendendi, quia
tales utuntur jure suo, quod habent ad alios persuaden-
dos in sui utilitatem, nec alii habent jus strictum ad il-
los discipulos; sicut enim poterant illi sine injustitia
sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi;
Sanchez *lib.* 2. *consil. c.* 3. *dub.* 3. *n.* 2. Lugo *tom.* 1. *de*
justitia & jure disp. 18. *n.* 109. ubi dicit hanc esse verio-
rem sententiam. La Croix *lib.* 3. *p.* 2. *n.* 81 & alii. Immo 16
Lugo *ibid. n.* 111. eos excusat etiam à peccato mortali,
quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam scho-
lam trahere eos, qui scholas aliorum frequentare solebant,
quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi
cum magno proprio incommodo; si enim peccarent mor-
taliter, ut volunt plures cum Sanchez *l. c. n.* 5. Væ, dicit
Lugo, Væ magistris, & concionatoribus, qui omnibus
artibus, & mediis utuntur, ut scholares, vel auditores
sibi accumulent, etiam cum præjudicio omnium concur-
rentium; immo tunc majorem æstimant suam gloriam,
quando ex schola, vel audientia aliorum retrahunt scho-
lares, vel auditores ad suam, quod quidem faciunt &
Advocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, Tonsores,
Artifices, Mercatores, aliique similes, quos omnes, si abs-
que vi, & fraude id faciant, non debemus facile peccati
mortalis reos dicere, ut recte concludit Lugo *ibid.* La-
Croix *lib.* 3. *p.* 2. *num.* 81. & alii.

✣ Duo hic sunt, quæ cum ethica christiana co-
hærere haudquaquam posse videantur. *Primum*, quod
ab omni sint culpa immunes, ac justitiam nullo modo
lædant, qui communi, hoc est, usu frequentata arte,
ab aliis magistris scholares evocant, ut majorem sibi
numerum discipulorum acquirant. *Alterum* vero, quod
à lethali culpa excusari universim possint magistri, con-
cionatores, aliique, qui etiam cum aliorum damno scho-
lares, auditoresque ab aliorum ad proprias scholas tra-
hant; nam ethica christiana inanem gloriam veluti ca-
pitale crimen detestatur, horret ea, quæ odia & inimi-
citias nata sint parere; ac generatim vetat aliis fieri,
quæ nobis fieri nolumus. Ubi vero in magistro com-
muni arte procurante alterius discipulos ad se trahere,
inanis gloria deesset? Illa enim uteretur arte, ut se su-
pra illos efferretur, quorum discipulos ad se traheret:
atque ita sane res appareret, quæcumque interea foret
illius intentio. Præterea nota res est, hac via in partes
scholares, auditoresque scindi, ac odia excitari, fove-
rique inimicitias. Id enim vix quidem contingere solet,
quin alterius scholares, auditoresque de proprii ma-
gistri, ac delecti concionatoris præstantia contendant,
& quin unum laudibus efferre, & deprimere alterum
studeant. Scimus denique, magistros, concionatoresque
ægre admodum ferre, aliorum arte discipulis, audito-
ribusque privari, ac satis constat de hoc, veluti de ma-
xima injuria, passim conqueri. Potest ne sine culpa fie-
ri, quod aliis maxime displicet? Numquid Jesu Christi
ethica hæc atque similia probat? Immo improbat in uno-
quoque christiano. Vide ergo num in magistro, & con-
cionatore id omni vacare possit culpa. Si enim ex offi-
cio virtutem docere, prædicare, & inculcare tenetur
verbo, & exemplo, quod leve in aliis, in iis grave pec-
catum erit. Ait Lucius hos justitiam non lædere, at læ-
dunt charitatem, & quidem non sine scandalo, ut ex
dictis liquet: immo & justitiam quoque; injuria enim
magistro fit, dum ipsi invito, ac sine ipsius culpa, sub-
trahuntur discipuli; est enim in possessione illorum,
ac recedendo ab ipso ut ad alium accedant, læditur il-
lius existimatio, ac jus quod ad hanc famam habet. Fac
deinde præjudicium, & damnum inde sequi, quis eos à
gravi culpa excusabit? Ait Lugo: Væ magistris, & con-
cionatoribus, &c. quorsum hæc? quia passim ita agunt,
passim peccant, & graviter, quia caritatem lædunt,
quia scandalo sunt fidelibus, & discipulis, quos ædifi-
care tenentur, quia de industria damnum aliis inferunt;
quod etsi demus non esse contra justitiam, quia moles-
tum quàm maxime aliis esse solet, & odia inimicitias-
que natum est parere, numquam sine gravi culpa erit. ✣

† Notat hic *Rom. Theologus* duo à me tradita esse
l. c. quæ cum ethica christiana cohærere haudquaquam
posse videantur. *Primum* quod ab omni culpa sint im-
munes, ac justitiam nullo modo lædant, qui communi,
hoc est, usu frequentata arte, & sine vi, fraude, men-
dacio, & criminatione curant ad se trahere discipulos
alias scholas frequentantes. *Alterum* vero, quod à letha-
li culpa excusari universim possint magistri, & con-
cionatores, qui omnibus artibus, & mediis utuntur, ut
scholares, vel auditores sibi accumulent &c. Ast hic Ty-
pographus Venetus vellet scire à nostro Theologo, an jus-
ta hæc sua principia, ei licuerit tam avide, & ardenter
promovere suam editionem Romanam, ipsam sic mag-
nificando, & Venetam parvipendendo ad retrahendos
emptores ab emptione Venetæ, & ipsos atrahendos ad
emptionem Romanæ cum tanto sui detrimento nedum
spirituali, sed & temporali, quum ipsum sic incitaverit
ad non parvam spiritus perturbationem, & animi aversio-
nem nedum contra ipsum Theologum, sed & contra ip-
sum penitus innocentem Lucium, ut sibi, quamvis falso,
sed constanter repræsentatum, contra suam illibatam fi-
dem, & religiosam integritatem socium cum Theologo
pro editione Romana in tantum detrimentum suæ Venetæ
editionis, ut ex epistolis patet, quæ adhuc servantur,
plenis querimoniis, indignationibus, & protestationibus
se velle omnem movere lapidem in Urbe, & Orbe pro
reparatione tanti sui indebiti detrimenti. En quot mala,
quot hinc, & inde animorum perturbationes! Sed ad hæc
nil noster Theologus, omnia sibi licent, aliis nihil, præ-
dicat aliis non furandum, & ipse in hoc genere, ex as-
sertione Typographi, satis superque furatur. †

Magistri, seu Doctores, qui lauream magisterii, seu 17
doctoratus in facultate theologica, vel juridica, tum ca-
nonica, tum civili, vel medica, vel philosophica legi-
time sunt consecuti, variis gaudent privilegiis. *Primum*
est, quod Nobilibus annumerentur, veramque nobilita-
tem consequantur; *arg. l.* 2. §. *Ultimo in fine*, *& l.* 4.
§. 1. *in fine*, *de excus. tut.* Immo nobilitas morum plus
ornat, quàm Genitorum, *cap.* Nos qui 3. *dist.* 40. Qua-
propter etiam gaudent nobilium prærogativis; *arg. cap.*
De multa 28. *de præbend.*
Secundum est, quod à plebeja conditioni exempti 18
in dignitate censeantur constituti; *arg. cap.* Quanto 3. *de*
magistris, & Clementin. Cum sit nimis 2. *de magistris.*
Tertium est, quod exempti sint ab oneribus, tam 19
realibus, quàm personalibus, textu expresso *l.* Medicos
6. *& l.* 11. *cod. de Professoribus*, *& Medicis.* ☼
Quartum est, quod magistri, & doctores criminum 20
rei mitius puniendi sint, quàm plebeii, adeoque non
torturæ, præterquam in criminibus exceptis, sunt sub-
jiciendi, nec pœna triremium, nec fustibus, nec gla-
dio, nec alio ignominiosiori pœnæ genere, sed ultimum
supplicium meriti, gladio puniri debent; *arg. l.* Custo-
diam, *ff. de custod. reorum*, *l.* 4. *cod. Adul. Jul. Ma-*
jestat. l. Moris 9. §. 11. *ff. de pœnis* cum similibus.
Quintum est, quod magistri, & doctores ceteris pa- 21
ribus in assequendis dignitatibus, & beneficiis eccle-
siasticis, aliis præferri debeant; *cap.* De multa 28. *de*
præbend. cap. Cum in cunctis 7. *de elect.* & Concil. Trid.
sess. 24. *de reform. cap.* 11.
Nomine Magistrorum, & doctorum veniunt etiam 22
Licentiati, unde & isti gaudent dictis privilegiis. Al-
ciatus *in l.* Cui præcipua *de V. S.* Leander *de privil.*
Doctorum *part.* 4. *num.* 11. & alii. Et ratio est, quia
licentiati habent etiam illam excellentem, & legitime
approbatam scientiam, & doctrinam, bono communi
servientem, propter quam principaliter sunt concessa
dicta, & alia privilegia magistris, & doctoribus; ipsi
enim licentiati, quamvis lauream magisterii, & docto-
ra-

☼ Grammaticæ Præceptores in omnibus oppidis non permittuntur, sed tantum ubi Correctores, Gubernatores, sive Judices, vulgo *Alcaldes mayores*, inveniuntur: in aliis vero, etiamsi detur aliqua dispositio, vel fundatio simile creans studium, nisi trecentorum ducatorum redditus attingat, effectum non sortitur. (1)

cedidos informes de su vida y costumbres. 8. A las maestras de niñas, para permitirles la enseñanza, deberá preceder el informe de vida y costumbres, exâmen de doctrina por persona que depute el Ordinario, y licencia de la Justicia, oido el Síndico y Personero sobre las diligencias prévias. 9. Ni los maestros ni las maestras podrán enseñar niños de ambos sexos, de modo que las maestras admitan solo niñas, y los maestros varones en sus escuelas públicas. 10. Y para que se consiga el fin propuesto, á lo que contribuye mucho la eleccion de los libros en que los niños empiezan á leer, que habiendo sido hasta aqui de fabulas frias, historias mal formadas, ó devociones indiscretas, sin lenguage puro, ni máximas sólidas, con las que se deprava el gusto de los mismos niños, y se acostumbran á locuciones impropias, á credulidades nocivas, y á muchos vicios transcendentales á toda la vida, especialmente en los que no adelantan ó mejoran su educacion con otros estudios: mandamos que en las escuelas se enseñe, además del pequeño y fundamental catecismo, que señale el Ordinario de la Diócesi, por el compendio histórico de la Religion de Pinton, el catecismo histórico de Fleuri, y algun compendio de historia de la nacion que señalen respectivamente los Corregidores de las cabezas de partido, con acuerdo ó dictamen de personas instruidas, y con atencion á las obras de esta última especie, de que facilmente se puedan surtir las escuelas del mismo partido, en que se interesará la curiosidad de los niños, y no recibirán el fastidio é ideas que causan en la tierna edad otros generos de obras. Todo lo qual hareis se observe, cumpla y execute, dando para ello las órdenes y providencias correspondientes, zelando y vigilando de que no se contravenga á su tenor, por lo mucho que en ello interesa la Religion, y bien del Estado. Que asi es nuestra voluntad.

(1) *L.* 34. *tit.* 7. *lib.* 1. Porque de haber en tantas partes de estos mis Reynos estudios de gramática, se consideran algunos inconvenientes, pues ni en tantos Lugares puede haber comodidad para enseñarla, ni los que la aprenden quedan con el fundamento necesario para otras facultades: mandamos que en nuestros Reynos no pueda haber, ni haya estudios de gramática, sino en las Ciudades y Villas donde hay Corregidores, en que entren tambien Tenientes, Gobernadores y Alcaldes Mayores de Lugares de las Ordenes, y solo uno en cada Ciudad ó Villa; y que en todas fundaciones de particulares, ó Colegios que hay con cargo de leer gramática, cuya renta no llegue á trescientos ducados, no se pueda leer: y prohibimos el poder fundar ningun particular estudio de gramática con mas ni menos renta de trescientos ducados, sino fuere, como dicho es, en Ciudad y Villa donde hubiere Corregimiento ó Tenencia; y si se fundare, no se pueda leer sino es que en él no haya otro; por que en tal caso permitimos que se pueda fundar é instituir, siendo la renta en cantidad de los dichos trescientos ducados y no menos:::

☼ Doctor, Licentiatus, seu Magister, qui qualibet in facultate, theologica, canonica, aut appollinea, aut lauream hujusmodi fuerunt Salmantina, Vallisoletana, Complutensi, Bononiensive Universitate consecuti, abs dubio ab oneribus, tam regalibus quàm personalibus eximuntur; in ceteris vero sic qualificati, ni privilegium ostenderint, immunitatibus eisdem non potientur. (1)

Dominiis Indicis eædem immunitates Doctoribus, & Licentiatis, Limensis, & Mexicanæ Universitatum sunt præventæ, quæ Salmantinæ conceduntur; (2) in aliis autem latissimis eorum territoriis comprehensis, ultraquod in sua erectione fuerit dispositum, egredi non licet. (3)

(1) Vid. *verb.* Advocatus.

(2) *L.* 1. *tit.* 22. *lib.* 1. *Ind.* Para servir á Dios nuestro Señor, y bien público de nuestros reynos, conviene que nuestros vasallos, subditos, y naturales tengan en ellos Universidades, y Estudios generales donde sean instruidos, y graduados en todas ciencias, y facultades, y por el mucho amor y voluntad que tenemos de honrar y favorecer á los de nuestras Indias, y desterrar de ellas las tinieblas de la ignorancia, criamos, fundamos y constituimos en la Ciudad de Lima de los reynos del Perú, y en la Ciudad de México de la Nueva España, Universidades, y Estudios generales, y tenemos por bien, y concedemos á todas las personas que en las dichas dos Universidades fueren graduadas, que gocen en nuestras Indias, Islas y Tierrafirme del Mar Occeano, de las libertades y franquezas de que gozan en nuestros reynos los que se gradúan en la Universidad y Estudios de Salamanca, así en el no pechar, como en todo lo demas::

(3) *L.* 2. *ejusd. Ibi*: Mandamos, que lo dispuesto para los dichos Estudios y Universidades, se guarde, cumpla y execute; sin exceder en ninguna forma, y las que fueren por tiempo limitado, acudan á nuestro Real Consejo de las Indias á pedir las prorrogaciones, donde se proveerá lo que fuere conveniente, y no las teniendo, cese, y acabe el ministerio de aquellos Estudios, que así es nuestra voluntad.

BIBLIOTECA CENTRAL

ratus non sint solemniter assecuti, habent tamen licentiam, & facultatem proximam illam solemniter consequendi, quoties velint, cum illa digni jam sint rite, & solemniter declarat. Unde pro eis stat illud Juris; *Proxime accingendus habetur pro accinto; l. penult. ff. de testament. milit.* Tum quia Concil. Trident. in assequendis dignitatibus, & beneficiis licentiatos æquiparat doctoribus, *sess.* 22. *de reform. cap.* 2. & *sess.* 24. *de reform. cap.* 12. (Gloss. *in leg.* 49. *tit.* 5. *p.* 5.)

23 Licentiati autem sunt, & dicuntur illi, qui supremum in aliqua facultate, sive theologica, sive juridica, sive medica, gradum doctoratus, seu magisterii insignia publica capessendi, quando volunt licentiam, seu facultatem habent, eo quod pro talibus post prævium examen, non tantum digni judicati, seu ut licentiati rite & solemniter creati sunt.

24 Licentiatis paulo inferiores sunt *Baccalaurei*, quo-
rum appellatione veniunt illi, qui in scientia, vel facul-
tate aliqua, sui profectus primum testimonium, primum-
25 que gradum sunt adepti. Isti ut ex Pratejo, & Paulo Ju-
risconsulto refert Calvinus *in suo magno lexico Juridico
verb.* Baccalaureus:: à Bacca Laurea nomen assumpsisse
videntur. Pignatell. autem *t.* 10. *consult.* 38. *n.*27. de ho-
rum etymologia sic precise habet: "De Baccalaureo tri-
"plex est hujusmodi cognominis etymologia, mea sen-
"tentia non absurda. *Prima est*, à baculo dicuntur ba-
"cularii, vel quod adhuc in pristino laborantes baculis
"impelluntur, vel quod nondum in disciplinis absoluti,
"opus habeant rectore baculo; hæc est probabilis. *Se-
"cunda*, constat lauri baccas esse nigras, & amaras; por-
"ro quoniam id temporis etiamnum arrodentes amarum
"sapientiæ corticem, nondum ad melleum dulcissimum
"penetrarunt, *Baccalaureos* appellari placuit. Ista est
"probabilior. *Tertia est*, arbitratur non nemo dictionem
"compositam à vacca, & Laro Vaccalarius; aliquæ
"enim nationes pro B. sonant V. consonantem, & è con-
"tra; Vacca autem lac porrigit, & larus avis est avidis-
"sima. Jam de amabili illo sapientiæ Principe dictum
"est: mel & lac sub lingua ejus. Unde quos vehemens
"quidam ardor hujus lactis agit, rapitque, *Baccalarii*
"dicuntur. Hæc est etiam probabilis.

26 Alii ipsos vocant *Baccalarios*, qui teste Rhenano apud Calvinum *loc. cit. verb.* Baccalarii::: à Bacillo nominati sunt, quia primi studii auctoritatem, quæ per exhibitionem baculi concedebatur, jam consecuti fuissent. Erat velut quoddam mancipationis signum in hujusmodi aliquod studium, baculi traditio. Vulgus Baccalarios, eruditi Baccalaureos vocant. Hæc Calvinus *loc. cit.* (Vid. *verb.* Advocatus, *per tot. in add. hisp.* & *nov.* atque *lit.* C. *pag.* 57. *col.* 2. *prop. fin.*)

27 ☞ De magistro scholæ primum in ecclesia cathedrali, & postea etiam in collegiata ecclesia instituto agit & quidem latissime Bohemer. *in decretal. lib.* 5. *tit.* 5. *fer. per tot.*

28 Munus autem hujus magistri erat docere non solum grammaticam, sed & alias disciplinas, scilicet rhetoricam, dialecticam, &c. Lectio enim vulgata *in cap.* 2. *de magist.* est depravata, ubi perperam legitur: *qui Clericos ecclesiarum ipsarum gratis in grammaticæ facultate, & alios instruat juxta posse.* At apud Harduin. *t.* 7. *Conc. pag.* 30. legitur: *in grammaticæ facultate, & aliis*, id est, facultatibus seu disciplinis. Notum quippe est quamlibet disciplinam ab antiquo facultatem dictam fuisse, ut evincit usus eloquendi in academiis familiariis.

29 Hinc autem magister in aliquibus ecclesiis cathedralibus etiamnum existit, & vocabulo *Scholastici* designari solet, estque dignitas ecclesiastica, sed commissum ipsi principio à sacris canonibus munus haud amplius implet (Consonat *lex* 7. *tit.* 6. *p.* 1. Ad eam *vid. pag.* 303. *lit.* B *num.* 53. *in noviss. add.*)

30 Diversi autem ab his magistris scholæ, quos canones
in cathedralibus collegiatisque ecclesiis volebant, sunt
magistri, qui de licentia Episcopi grammaticam aliasque
31 modò dictas facultates hodie docent. Atque hinc est, quod
ad hos trahi nequit, id, quod de illis à canonibus sanci-
32 tum reperitur. Illi, ut exemplum aliquod afferamus, eo
quia ex proventibus ecclesiæ vivebant, nihil à scholaribus suis nisi sponte oblatum accipere poterant; at hi nisi stipendium publicum habeant, non prohibentur aliquid à scholaribus exigere; *Confer* Gonzal. *in comment. ad cap.* 4. *num.* 6. *de magistr.*

Possunt, ut asserit *Auctor num.* 8. hodierni magistri 33
in iis etiam, quæ ad religionem pertinent, scholares suos instituere; non tamen (ita recte ait Romaguer. *ad Synodal. Gerund. lib.* 5. *tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 5.) *per istos sublevantur Parochi à sua obligatione docendi doctrinam christianam, sed eo non obstante ad eam docendam tenentur.*

De exemptione, quàm ait *Auctor num.* 19. frui ma- 34
gistros seu doctores ab oneribus personalibus, & realibus, vide Brunemann. *in leg. fin. cod. de profess. & medic. & præcipue* Klock *de contribut. cap.* 10. *per tot.* qui de ea ex professo tractat, & quando tum quomodo procedat tradit.

Absolute verum haud est quod asserit *Auctor n.* 22. 35
Licentiatos venire nomine magistrorum seu doctorum, tum frui privilegiis omnibus ipsis concesis: Consule Besold. *in dissert. de studiosis cap.* 8. *per tot.* & Mendo *de Jure Academ. lib.* 1. *quæst.* 13. *num.* 331. & *plur. seq.* qui docent quibus doctorum privilegiis gaudeant licentiati. ☜

(Undecim leges cum procemio *tit.* 31. *p.* 2. continet: in eo de studio, ubi scientiæ discuntur, agitur: de magistris, & doctoribus scientias profitentibus, & docentibus: de scholasticis, sectantibus scholas, quoque tractatur: extraneum igitur non erit, si aliquid, in eisdem determinationibus inventum, hic subnectitur. Quid sit studium, *in prima* describitur: doctorum & discipulorum, qui aliquo loco scientias cum voluntate discendi congregantur, cœtus esse dicitur: divisio ejus in generale, ac particulare consistit: ubi artium magisti reperiuntur, *grammaticæ*, scilicet, *logicæ*, *rhetoricæ*, *arismeticæ*, *geometriæ*, *astronomiæ*, *legum*, & *decretorum*, primum designat: à Summi Ecclesiæ Præsulis, Imperatoris, seu Regis debet jussu constitui: ubi pauci scholastici sive scholares *ex gr.* in oppido, villa, &c. dantur, secundum: hoc equidem à Prælato, alicujusve populi consilio fieri valet. *In secunda* (*Vid. etiam leg.* 5.) demonstratur locus, ubi est sudium erigendum: salutaris debet esse, fertilis, & abundans: omnes tam magistri, scholares, quàm eorum nuntii honorandi: regia perfruuntur securitate, ideo neque hi, bonaque sua posunt detineri, non solum dum ad scholas proficiscuntur, verum etiam stantes, & ad patriam redeuntes. *In tertia* designatur, quot tot sint futuri magistri quot fuerint scientiæ, in qualibet earum unus ad minus: si de omnibus nequit magister nominari, saltem grammaticæ, logicæ, rhetoricæ, & de utroque jure habendus. *In quarta* decernitur forma, qua sunt scholares à magistris edocendi: librorum, qui legi incipiant, ultima pagina scrutetur: personalis erit magistrorum assistentia: non valet per substitutum hoc munus adimpleri: si propter gravem ægritudinem docere haud possint, annale salarium erit integrum solvendum, tamquam si per totum anni circulum perlegerint. *In quinta*, postquam asseritur, quare locus, in quo est studium constituendum, secessus, & abditus debet esse, atque scholæ finitimæ, deciditur ex habitationibus, ubi morantur, non esse scholares ejiciendos, voluntas inibi habitandi eisdem dum non defuerit. *In sexta* demandantur, & prohibentur cœtus, & hominum non paucorum coadunationes seu confraternitates: in omni territorio ejusmodi conventiculi fuere vetiti, eo quod ex eis magna solent oriri præjudicia: nihilominus magistri, & scholares hasce coadunationes valent efficere, rectorem eligere, cui in licitis, & honestis obedire tenentur: compescendi eos, in omnibus facultas conceditur: si scholares non recte processerint, à regio judice (siste parumper) puniendi veniunt. *In septima* proprii in civilibus scholarium judices ostenduntur: tres signantur, edocentes magistri, loci judex, seu Episcopus: sunt conveniendi ubi voluerint: sed si actores fuerint, rei forum sequentur: & si nulla sui privilegii mentione facta, seu fo-

BIBLIOTECA CENTRAL

ri declinatoriæ ante loci judicem conveniantur, privilegium amittunt, judicium ubi cœptum, usque ad diffinitivam debet prosequi: ceterum exceptione proposita, si ad respondendum eisdem compellatur, uterque tam judex quàm actor plectitur, juris amissione iste, ille vero Regis arbitrio. *In octava* vid. *dict. lit.* A & C. *In Nona* qualitas præscribitur, sub qua est scholari ad docendum licentia concedenda. *In decima* decernitur, in Universitate nuntium esse debere: *bidellus* vocatur, & ejus officium determinat. *In decima prima* proponitur, stationarios à generali studio non deficiendos: perquam utile, & necessarium simile officium æstimatur: in ejus statione libros ad legendum idoneos, non vitiosos & corruptos, bene emendatos debet tenere, ibique, venia rectoris præcedente, persistere.

Omnibus hisce perpensis, quantum hic inserere sit visum necessarium, illico menti se subjicit, nam postquam perlegeris statuta, & omnium Universitatum ordinationes, memoriæ demandare quæ *tit.* 10. *lib.* 1. *Ord. Reg. tit.* 7. *lib.* 1. *Recop. Cast.* & *tit.* 22. *lib.* 1. *Ind.* disponuntur, tamquam posteriora antecedentibus, ex *tit.* 31. *p.* 2. deductis, maxime conducit. Convenit inter alia hic prævenire seu subnectere *Reg. Resol.* 23. *Decembris an.* 1766. in qua prohibetur, quemcumque in Salmantina civitate, judicaturam exercentem, cathedras obtinere: *Reg. Sched.* 23. *Maj. ann.* 1767. per quam præcipitur, ne venditio operis sub nomine *Incommoda probabilismi* impediatur, atque juramenti præstatio circa doctrinam *session.* 15. *Concil. Constantiensis* contentam: (*Vid. in addit hisp. ad hoc verb.*) *Reg. Provis.* 23. *Julii an.* 1768. in eum finem directam, ut penitus eradicentur causæ litigiosæ super jurisdictionis competentia inter Rectorem majoris Colegii, Universitatem, atque Propratorem, vulgo *Alcalde Mayor*, Civitatis complutensis frequenter exortæ: cum declaratione eorum, qui foro Universitatis perfruuntur. *Auct. Acord.* 20. *Decembris an.* 1768. super formalitate, quæ antea quàm suffragia in cathedrarum obtentione ferantur, venit observanda: *Reg. Sched.* 14. *Mart. an.* 1769. in qua de Moderatorum, vulgo *Directores*, in unaquaque Universitate creatione agitur, ibique regia instructio, quadraginta capita continens, inseritur cum auct. acord. jam citat. & alia sub data 14. *Feb. an. ej.* 1769 quorum omnium eisdem Moderatoribus, Universitatibusque adimplementum præscribitur: *Reg. Provis.* 6. *Septemb. an.* 1770. quæ ad Censoris Regii, ubi regium Auditorium non datur, nominationem dirigitur: si datur hujusmodi Prætorium, ad regios Fiscales hoc munus spectabit, ut conclusiones, quæ sunt defendendæ, recognoscantur: numquam defendi valent auctoritati regiæ, diadematisque juribus adversantes: *Reg. Sched.* 24. *Jan. an.* 1770. ubi disponitur de graduum receptionis, & incorporationis forma: (aliquid *verb.* Advocatus, & Medicus) *Reg. Sched.* 4. *Octob an.* 1770. in qua stabilitur, neminem à cathedrarum lectione abstinentem infirmitatis causa, pro illo tunc esse habendum pro oppositore: *Reg. Sched.* 23. *Octobr. ann.* 1770. quæ omni spreta acceptione, præfigit modum, quo cathedrarum consultatio est in effectum perducenda: *Reg. Sched.* 17. *Januarii an.* 1771. ubi ad applicationem excitandam decernitur, in proprietate non esse cathedras conferendas: *Reg. Provis.* 11. *Mart. ann. ejusd.* 71. per quam præcipitur, ad gradus baccalaurei receptionem tempus lucratum non esse profuturum, nisi in Universitate fuisset inversum, seu consumptum: *Regiamque denique Provis.* 25. *Maj. an.* 1771. quæ declaravit quatuor difficultates, super graduum scilicet *Licenciati*, & *Baccalaureatus* receptione ortas; magnum fructum afferet, si Provisiones regiæ 14. *Septembr.* & 16. *Octobr. anni* 1771. in lucem publicam *ann.* 1772. Matriti editæ recognoscantur, ut pote in eis nova methodus literas ad discendum (futuris servit temporibus) in Salmantina, & Complutensi Universitate constituitur. Si ad minus prænotata stabilimenta, seu ordinationes, bene digesta, memoria repetantur, quis erit qui fere omnia materia super præsenti determinata non esse patefacta, dubitabit asserere? Hic perquam utile fuerit, ad minimum si in latinum idioma prædictæ dispositiones essent conversæ, & omnibus earum partibus substantialibus constantem extensiones mererentur, neminem fugit? verumtamen cui celatur, tempus non parvum esse insumendum? Idcirco contentus præcedentibus quilibet evadat, nam si illud mihi vacaret, aliqualem majorem notitiam præberem absdubio.)

MAGISTER CÆREMONIARUM.

SUMMARIUM.

1 *Magister cæremoniarum est necessarius in cathedralibus, & collegiatis.*
2 *Ad officium magistri cæremoniarum non debet compelli canonicus, sed providendus est alius simplex sacerdos.*
3 *Magister cæremoniarum non potest alterare, seu mutare consuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad vesperas.*
4 *Magister cæremoniarum, absente magistro chori, habet munus indicendi silentium in choro.*
5 *Occasione consecrationis monialium non est permissum magistro cæremoniarum clausuram ingredi.*
6 *Magister cæremoniarum, si sit beneficiatus, potest in exercitio sui officii dimittere habitum beneficiatorum & uti superpelliceo.*
7 *Magister cæremoniarum, etiamsi sit capellanus, dum est in exercitio sui officii, sedere debet apud celebrantem, vel assistentes.*
8 *Magister cæremoniarum in processionibus incedit apud celebrantem, & ejus assistentes, & ubique, quando opus est, discurrit.*
9 *Magister cæremoniarum debet personaliter significare Episcopo, quando debet ad ecclesiam accedere pro functionibus episcopalibus.*
10 *Cæremoniæ unde sint dictæ.*
11 *Afferuntur duo dubia novissime à Sacra Congregatione Concilii resoluta.*
12 *Alia ad rem*, remissive.

Magister cæremoniarum est necessarius in cathedra- 1
libus, & collegiatis. Unde in cathedrali quousque assignetur ei aliunde competens stipendium, contribuere debent Episcopus, & Capitulum pro rata; Sacr. Congr. Episcop. & Regul. *in Comensi* 10. *Julii* 1600. & Sacr. Congreg. Rit. *in Tropien.* 23. *Martii* 1602.

Ad officium magistri cæremoniarum non debet com- 2
pelli canonicus, sed providendus est alius simplex sacerdos. Sacr. Congr. Episcop. & Regul. *in Castellan.* 23. *Julii* 1602.

Magister cæremoniarum non potest alterare, seu mu- 3
tare consuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad vesperas. Sacr. Congr. *in Suessan.* 28. *Aprilis* 1607.

Magister cæremoniarum, absente magistro chori, ha- 4
bet munus indicendi silentium in choro. Sacr. Cong. Rit. *in Hydruntina* 6. *Decemb.* 1613.

Occasione consecrationis monialium non est permis- 5
sum magistro cæremoniarum clausuram ingredi. Sacr. Congr. Concil. *in Sabinen. in respons. ad* 5. *dub. die* 3. *Jul.* 1631.

Magister cæremoniarum, qui est beneficiatus, potest 6
dimittere habitum beneficiatorum, & uti superpelliceo in exercitio sui officii absque incursu censurarum contra illum habitum non deferentes. Sacr. Congr. Rit. *in Januens.* 9. *Decemb.* 1617.

Magister cæremoniarum, etiamsi sit capellanus, quan- 7
do officium exercet, & vestibus illius officii vestitus est, sedere debet apud celebrantem, vel ejus assistentes pluvialibus indutos; quando vero non est in ministerio, sedere debet in choro inter præbendatos, vel presbyteros sui ordinis, servato ordine suæ receptionis. Sacr. Congr. Rit. *in Patavina* 28. *Novemb.* 1609. & 8. *Maii* 1617.

8 Magister cæremoniarum in processionibus incedit apud celebrantem, & ejus assistentes, & ubique discurrit, quando opus est, pro ordinanda processione. Sacr. Congr. Rit. *in Patavina* 30. *Augusti* 1602. & 8. *Maii* 1616.

9 Cum sit officium magistri cæremoniarum Episcopo significare, quando debet ad ecclesiam accedere pro functionibus episcopalibus, debet id ei personaliter significare. Sacr. Congr. Episcop. & Regul. *in Campanien.* 3. *Octobr.* 1642.

10 Cæremoniæ dictæ sunt à Cære, seu Cærite, antiqua celebri urbe Tusciæ, ad quam Roma à Gallis obsessa, Virgines Vestales transtulerunt simulacra Deorum, & inibi cultum eis exhibebant; ob cujus rei memoriam Romani in libertatem per Camillum asserti statuerunt, ut deinceps divini cultus cæremoniæ appellarentur. Tit. Livius *lib.* 5. Macrob. *lib.* 3. *cap.* 3. Nouvau Dictionaire Theologique, Historique &c. par D. de Juigne *verb.* Cere.

11 Afferuntur duo dubia novissime resoluta à Sacr. Congreg. Concil.

I. An Clemens Grattarola cæremoniarum magister Archiepiscopi Ravennatens. quando ratione sui officii assistit eidem Archiepiscopo Pontificalia exercenti, tam in Ecclesia cathedrali, quàm in aliis quibuscumque civitatis locis, ejusque suburbiis, necnon extra civitatem in locis suæ diœcesis actu visitationis, gaudere debeat distributionibus quotidianis? & quatenus negative.

II. An ex gratia indulgendum sit ut dictas distributiones lucretur in casu &c.

Sacr. Cong. Conc. *in Ravennaten.* 1. *Augusti* 1739. respondit: *Negative ad utrumque in casu, de quo agitur, præterquam quando assistit Archiepiscopo in cathedrali.*

12 Alia ad rem vide *verb.* Resolutiones Sacrarum Congregationum *in Indice* 1. *Decret. Merati à num.* 668. *ad* 771. & *à num.* 774. *ad* 778.

MAGISTRATUS.

SUMMARIUM.

1 *Magistratus non debet occupare locum capituli, & Cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud suum Episcopum.*

2 *Magistratus, aut Judices non debent proprias dignitatum, & canonicorum sedes, seu stalla in choro, aut presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permissum fuerit.*

3 *Magistratus, & officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, & canonicos æquis ductibus, non obstante usu in contrarium.*

4 *Magistratus in processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere.*

5 *Magistratus debet juxta solitum tibicines mittere ad processionem Sanctissimi Sacramenti, nec licet prohibere solitum tributum ceræ ecclesiæ, &c.*

6 *Magistratus civitatis cogi potest solitum obsequium Episcopo accendenti ad Ecclesiam præstare, & juxta solitum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, & tempore adventus, & quadragesimæ.*

7 *Magistratus nihil debet in præjudicium capituli, ecclesiæ, & canonicorum innovare vel attentare.*

8 *Magistratus secularis civitatis, quando non est de majoribus, & perpetuis, debet cedere in omnibus & per omnia canonicis ecclesiæ cathedralis, & concionator debet prius canonicos, quàm magistratum salutare.*

9 *Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes Episcopo.*

10 *Magistratus laicus non potest habere locum in choro, seu in presbyterio, sed extra illum.*

11 *Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem sive usum tapeti, seu stratus.*

12 *Magistratus debet cedere præcedentiam capitulo cathedralis in omnibus functionibus ecclesiasticis; & concionator debet prius salutare capitulum, quàm magistratum.*

13 *Item concionator debet prius salutare canonicos, quàm gubernatorem civitatis.*

14 *Adducuntur varia dubia ad rem resoluta à Sacra Congregatione Rituum.*

15 *Qualis honor debeatur Prælato præsidi Provinciæ?* remissive.

16 *Subnectuntur supplementa Auctoris.*

1 Magistratus non debet occupare locum capituli, & cleri, qui in concionibus sedere debent immediate apud Episcop. Sacr. Congr, Rit. *in Balneoregien.* 25. *Jan.* 1602.

2 Magistratus aut judices non debent proprias dignitatum, & canonicorum sedes, seu stalla in choro, seu presbyterio occupare, quamvis aliquando id eis permissum fuerit. Sacr. Congr. Rituum *in Compostellan.* 4. *Februarii* 1600. & *sub die* 21. *Februarii* 1604. & *in Granatensi* 24. *Octobris* 1609.

3 Magistratus, & officiales civitatis thurificandi sunt post dignitates, & canonicos æquis ductibus. Sacr. Congreg. Rituum *in Interam.* 10. *Julii* 1600. & *in Fanen.* 1. *Septembris* 1607. & *in Narnien.* 16. *Junii* 1617. Non obstante usu in contrarium per quindecim annos servato. Eadem Sacr. Congr. *in Cephalud.* 24. *Octobr.* 1609.

4 Magistratus in processionibus Sanctissimi Sacramenti debet incedere in loco, in quo secundum antiquam consuetudinem consuevit incedere. Sacr. Congreg. Rit. *in Forolivien.* 4. *April.*

5 Magistratus debet juxta solitum tibicines mittere ad processiones Sanctissimi Sacramenti; nec licèt prohibibere solitum tributum ceræ ecclesiæ, canonicis, seu fabricæ debitum à consulibus artium, & Massariis Villarum; Sacr. Congr. Rit. *in Narnien.* 16. *Jul.* 1605.

6 Magistratus civitatis cogi potest solitum obsequium Episcopo accedenti ad Ecclesiam præstare, & juxta solitum accedere ad ecclesiam cathedralem in diebus solemnibus, & tempore adventus, & quadragesimæ. Sac. Congr. Rit. *indict. Narnien.* 26. *Julii* 1605. & *in civit. Castelli* 39. *Novemb.* 1618.

7 Magistratus nihil debet in præjudicium capituli ecclesiæ, & canonicorum, innovare, vel attentare. Sacr. Congr. Rit. *in dict. Narnien.* 16. *Jul.* 1605.

8 Magistratus secularis civitatis, quando non est de majoribus & perpetuis, debet cedere in omnibus, & per omnia canonicis ecclesiæ cathedralis; & concionator debet prius canonicos, quàm magistratum salutare. Sacr. Congr. Rit. *in Tirason.* & *in Oscana* 3. *Octob.* 1615.

9 Magistratus, quando est de majoribus, debet incensari ante canonicos post assistentes Episcopo. Sac. Cong. Rit. *in Patavin.* 2. *Martii* 1602.

10 Magistratus laicus non potest habere locum in choro, sive in presbyterio, sed extra illum, ut sæpe declaravit Sacr. Rituum Congr. & præsertim *in una Auximana* 2. *Julii* 1639. Unde eadem Sacr. Rit. Congr. *in una Amerina Sedilium* 16. *Martii* 1697. *confirmata* 12. *Septemb.* 1699. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta designationem porrectam à magistro cæremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, & allegaret alterius loci congrui deficientiam.

11 Magistratus laicus non potest in ecclesia habere retentionem, sive usum tapeti, aut stratus, ut declaravit Sacr. Congr. Rit. *in Baren.* 2. *Sept.* 1690. Vide *verb.* Eccles. *art.* 5. *à num.* 32. *ad* 36. ubi afferuntur multa decreta ad rem facientia.

12 In causa Capuana fuerunt proposita, & resoluta sequentia dubia.

1. An capitulo ecclesiæ metropolitanæ debeatur præcedentia super magistratum secularem ejusdem civitatis in omnibus functionibus ecclesiasticis?

An concionator debeat salutare prius capitulum vel magistratum?

3. An absente Archiepiscopo magistratus debeat salutari cum titulo Illustrissimi, & capitulum cum titulo Reverendissimi?

Sacra Congregatio Rituum 25. *Januarii* 1700. *respondit.*

Ad 1. Deberi.
Ad 2. Affirmative.
Ad 3. Negative in casu proposito, apud Monacell. *tom.* 4. *supplem. ad* 1. *tit. num.* 20. & *seq.*

13 Et jam in alia *Vercellensi* 2. *Augusti* 1691. declaraverat, quod concionator debeat prius salutare canonicos, quàm gubernatorem civitatis.

14 Et novissime in Veliterna pro Magistratu Velitrarum cum capitulo ejusdem civitatis fuerunt in eadem Sacra Rituum Congregatione proposita, & soluta sequentia dubia.

1. An magistratus Velitrarum in festo S. Francisci Xaverii possit incedere cum clava, & eodem comitatu, ac incedit in festivitatibus quatuor Sanctorum Patronorum civitatis, Sanctissimæ Conceptionis, & Beatæ Mariæ Gratiarum?
2. An idem magistratus in ecclesiis extra cathedralem sit thurificandus triplici ductu?
3. An eidem magistratui sit dandum osculum pacis per amplexum, seu potius per instrumentum, & à quo?
4. An celebrantes post finem missæ tam solemnis, quàm privatæ, debeant, antequam ab altari discedant, reverentiam facere magistratui?
5. An eodem magistratu interessente missæ privatæ liceat in altari accendere quatuor candelas?
6. An magistratus immediate post canonicos, & ante beneficiatos, ceterosque de clero admitti debeat ad crucis adorationem. & ad cineres?
7. An magistratus, ejusque officiales in processionibus, in quibus deferunt intortitia, illa propriis manibus deferre debeant?
8. An magistratus accedente ad cathedralem, aliasque ecclesias civitatis cum comitatu, & clava licitus sit sonitus tubarum intra easdem ecclesias?
9. An eodem magistratu in cathedrali, aliisque ecclesiis secularibus, & regularibus, interessente missæ privatæ, licitus sit sonitus tubarum in actu elevationis Sanctissimæ Eucharistiæ intus ipsas ecclesias?
10. An eidem magistratui liceat in ecclesia parochiali Sanctæ Mariæ de Trivio retinere scammum intus presbyterium?
11. An eidem magistratui in ecclesiis Sancti Martini, Sancti Francisci, Sanctæ Claræ, & Sanctæ Theresiæ liceat retinere scamnum à cornu Evangelii?

Die 10. Septembr. 1718. proposita causa per Card. Fabroni in Sacr. Congr. Rituum.

Ad 1. Responsum fuit affirmative.
Ad 2. Negative.
Ad 3. Per instrumentum dandam esse pacem ab aliquo ministro superpelliceo induto.
Ad 4. Negative.
Ad 5. Affirmative, dummodo incedat in habitu consulari.
Ad 6. Negative.
Ad 7. Affirmative.
Ad 8. Affirmative, sed extra Januam.
Ad 9. Ut ad proximum.
Ad 10. Negative.
Ad 11. Arbitrio Eminentissimi Ordinarii, & amplius causa non proponatur.

15 Qualis autem honor debeatur Prælato Præsidi provinciæ, vide dicta *verb.* Ecclesia *art.* 5. *num.* 36. ubi ad id dantur Sacr. Congr. Rituum decreta.

16 * Magistratus & judices seculares procedentes in criminalibus contra ecclesiasticos, excommunicantur. Benedict. XIV. *tom.* 1. *constit.* 14. *incipient.* Pastoralis §. 19. *

17 ☞ De loco magistratuum in ecclesia, thurificatione ipsorum, pace iis danda, tum de associatione ab illis facienda Episcopo, vide ubi res postulat Romaguer. *in Synod. Gerund. lib.* 3. *tit.* 17. *cap.* 12. *per tot.* Lagun. *de fruct. part.* 1. *cap.* 30. §. 1. *num.* 108. & *plur. seq.* Cort. *ad decis. Catalon.* 247. *num.* 15. & omnium optime Panimoll. *decis.* 1. *adnot.* 11. *per tot.*

18 Hic vero non est prætereundum nullo modo licere dare osculandum evangelium cuivis magistratui, ut decisum referunt à Sacra Congregatione Rituum Romaguer. *ubi supra num.* 19. Pignatell. *consult. canon. tom.* 8. *consult.* 54. *num.* 8. & *final.* ☞

MALCHUS.

1 Quis ille fuerit, cui à S. Petro amputata fuit auricula nocte passionis Christi, non conveniunt Doctores. Eum fuisse servum Principis Sacerdotum, habetur *Matt.* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. & illius nomen fuisse Malchum, *Joann.* 18. ibi: *Erat autem nomen servo Malchus.* Hunc Malchum illum fuisse, qui colapho Salvatoris os percussit, dicendo: *Sic respondes Pontifici?* tradunt aliqui.

2 Nonnulli putant, Malchum, cum à Christo Domino sibi esset auricula restituta, fidem Christi amplexum fuisse, ut inter alios Cornellius à Lapide, *cap.* 26. *Matth. vers.* 51. §. Denique Christus. An autem Petrus totam integram ei præciderit auriculam, ut in terram caderet, an vero partem tantum ambigitur. Fortasse tamen pars solum fuit abscissa, cum solo tactu à Christo restituta perhibeatur, *Lucæ* 22. 51. ut tradit Calmet in *Dictionario verb.* Malchus::: Ceterum relicta in suo esse opinione, quod Malchus, amplexa fide, christianus obierit; verba scripturæ refragari videntur, quod Malchus ille fuerit, qui colaphum Jesu impegit, dicens: *Sic respondes Pontifici?* cum illum fuisse quemdam ex ministris Annæ Summi Sacerdotis præsentibus, habeamus. Joan. 18. 22. nihilque de Malcho legatur, de quo tamen in eodem capite actum erat. Vide Lambert. Benedict. XIV. *de festis D. N. J. C. num.* 208. & Calmet. *in Diction. verb.* Malchus.

3 Adolescens, qui relicta sindone nudus profugit à satellitum numero nocte passionis Christi, qui fuerit; non parum dissident Auctores. Hieronymus & Epiphanius censuere, illum fuisse Jacobum fratrem Domini Jesu, appellatum Justum; sed hanc opinionem rejiciunt Baronius, Suarez, Lambertin. XIV. *de fest. D. N. J. C. num.* 209. Chrysostomus & Ambrosius putarunt, fuisse Joannem Evangelistam; sed hæc quoque rejicitur opinio; Lamy enim *Harmon. Evang. lib.* 5. *cap.* 7. dicit: *suspicantur quidam, fuisse Joannem Christo dilectum; sed quare id temporis fuisset Joannes nudus aut prope nudus?* Tillemontius *nota* 3. *in vita S. Joannis*; quærit, num dici possit, adolescentem illum fuisse nudum, quamvis in vicinia habitantem, qui vestibus exutus in lecto jaceret, & audito clamore & strepitu, lecto desiliisse sindone amictum, & domo egressum, sindone in eorum manibus, qui comprehenderant relicta aufugisse. Et ad id inclinat Antonius Bineus *de morte Christi tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 14. sic concludens: *Probabilius nihil est, quàm hunc juvenem ex vicina aliqua villa armorum, virorumque strepitu excitatum accurrisse ut cerneret cognosceretque quid ageretur intempesta nocte. Quare quisnam fuerit, indagare nemo mortalium potest.* Vid. Lambertin. *loc. cit.* *

BIBLIOTECA CENTRALE